



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

& Imperij Lib. VIII. Cap. XXIII. 441

eiè liberè sunt Domini Regis Francia, sicut & ea Episcopus liberè possidebat. Et si Episcopus Matifconensis decesserit intestatus, tam omnia mobilia quam omnes proventus sunt Domini Regis Francia liberè & absolūtè.

X. Collationem autem Præbendarum jam fuisse introductam anno M C X C. fidem facit testamentum Philippi Augusti, cujus hæc sunt verba: *Si Præbenda vel aliquod Beneficium ecclesiasticum vacaverit quando Regalia in manu nostra venient, Regina & Archiepiscopus vultis honestis & literatis consilio fratris Bernardi conferant; salvo tamen donationibus nostris, quas per literas nostras patentes quibusdam fecimus. Hæc ultima clausula continet donationes anticipatas, quæ prorsus erant gratiæ expectatiuæ.*

[*Hunc usum conferendi Præbendas Ecclesiæ vacantis, in cuius possessione sunt Reges nostri, antiquiorem esse Philippo Augusto dicimus ad Hildebertum. Steph. Baluzius.*]

XI. Quapropter idem Philippus Augustus apud Innocentium tertium aiebat anno M C C X. se Præbendam quandam sede Laudunensi vacante contulisse Thomæ de Argentolio Clerico suo secundum antiquam & approbatam consuetudinem regni; petebatque à Summo Pontifice confirmationem huius provisionis. Quod rescripto suo non refutat Innocentius; sed causam ad examen Capituli Laudunensis remittit, ut intelligi possit an provisio à Summo Pontifice facta in gratiam cuiusdam Odonis præferenda sit ei quæ à Rege facta est in gratiam Thomæ de Argentolio. Quod si contingat Odonem præferri Thomæ, Regem orat ut id gratum habere velit ob reverentiam apostolicæ sedis & ipsius Innocentij. Ceterum potestas illa adeo solidata erat anno M C C L X V I. ut Clemens Papa quartus revocaverit provisionem quandam quæ auctoritate ejus facta fuerat de quadam Præbenda Remensi, quod Rex Ludovicus nonus conquereretur id tentatum fuisse adversus jura regia, affirmaretque quod *vacantes confert in Ecclesia ipsa Præbendas à tempore quo eandem Ecclesiam pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus Regalia recipit à Rege.* De eodem sancto Ludovico refert Nangius eum conferre solitum Præbendas Ecclesiarum cathedralium ubi sede vacante, ratione custodiæ Regalium, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum. Gregorius verò decimus epistola sua data anno M C C L X X I. approbavit collationem archidiaconatus Senonensis à Rege factam sede vacante; tametsi Beneficium illud vacasset in Curia Romana, ob consecrationem Archidiaconi,

Tom. II.

quod archiepiscopatum Senonensem electus fuerat.

XII. Præter reditus episcopatus & collationem Præbendarum, spolia Episcoporum defunctorum pertinebant ad Regem; licet antiqui canones ab iisdem spoliis removissent Clericos & Metropolitanos, ac licet Urbanus secundus & Innocentius secundus eorundem spoliatorum occupationem laicis interdixissent. Reges tamen nostri possessionem illam retinuerant quoad quasdam Ecclesias; ut fidem facit Episcopus Matifconensis anno M C C I. cujus auctoritas paulò supra relata est. Sed idem disertius probatur ex epistola Regis Ludovici junioris, quæ extat Tit. I. cap. X V I. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, data anno M C X L V I. in qua remittit Episcopis Catalaunensibus veterem consuetudinem quæ ab officialibus regis usurpabatur, ut caperent omnia mobilia lignea aut ferrea & animalia quæ reperiebantur in domo episcopali. Sed disertis verbis retinet, secundum veterem consuetudinem, vinum, annonam, aurum, & argentum quæ tum fuerint in episcopatu: *Præter annonam, vinum, aurum, & argentum: quæ omnia, juxta vetustam consuetudinem, & manu & potestate regia retinemus.* Idem Princeps simile privilegium concessit Theobaldo Episcopo Parisiensi, quod à filio ejus Philippo Rege confirmatum est, ut patet ex epistola quadam edita apud Gallandium in Tractatu de Franco-Allodio pag. 338.

Vide Additionem ad caput XV III. hujus libri.

CAPUT XXIII.

Synopsis.

I. Imperatores quoque fruebantur jure occupandi spolia Episcoporum defunctorum. Sed id jus Ecclesiis remisit Fridericus secundus Imperator. Fructuum autem nomine comprehendebant etiam collationem Beneficiorum. Sed tamen Fridericus non remisit investituram per scriptum, neque jus recipiendi homagij ab Episcopis.

II. Post electionem Ottonis quarti, Principes Germani scripserunt ad Innocentium tertium abolitam ab Ottone fuisse consuetudinem occupandi bona mobilia Episcoporum morientium aut Abbatum Principum, statimque ut ea conferrentur successoribus.

III. Dubitandum non est quin Ecclesia orientalis reditus episcopatus vacantis conservaverit successoribus. Gubernatores tamen provinciarum bona mobilia Episcopi mortui deinde occuparunt, & immobilium usum fructuum in suos usum converterunt. Ratio hujus immutationis investigatur.

IV. Id lege lata prohibuit Joannes Comnenus Imperator. Tum etiam frater ejus Manuel Comnenus: qui præterea edixit ne Gubernatores bona mobilia Ecclesiarum vacantium ad suam administrationem adungerent sibi que addicerent.

KKk

Tit. I. Libert.
Ecc. Gal.

Tit. 16.

